

Hierin fehlte Nr. 8

am 10.4.1917.

Suchier.

7.
4

DECANI FACULTATIS MEDICÆ
JO. HADRIANI SLEVOGTII, D.
ANAT. CHIR. ET BOTAN. P, P,
MED. DVC. PROVINC.
PROLVSIO INAVGVRALIS
De
ÆGILOPE HERBA.

J E N Æ,
LITERIS KREBSIANIS.





Uicunque remedii magnitudinem ex multitudine ingredientium, aut artificiosa eorum compositione, aut pretii valore aestimaverit, is magnis morbis haud semper magna remedia opponenda esse, creberrime observabit. Quippe sive ad prisca & origini Medicinæ proximiora tempora, ubi ista paucarum adhuc herbarum scientia erat, sive ad nostram ætatem respiciamus, ubi ars ad multiplicem varietatem pervenit, æque feliciter gravissimos affectus aliquando simplicissimo pharmaco sublato videbimus, ac si diffusissimis antidotis, operosis magisteriis quintisque essentiis oppugnati fuissent.

In exemplum producimus morbum Ægilopem, quem clarissimus JOHANNES FRIDERICVS HVNERWOLFFIUS, Medicinæ Candidatus dignissimus, erudite descriptum, futuro die II. Octobr. pro summos in arte nostra honores impetrandi licentia, publico eruditorum examini exponet. Hic enim, cum tenerrimam corporis partem, oculum, occupare, vicinamque ipsi glandulam, cum maxima dedecoratione totius vultus, corrumpere soleat, & ubi semel in fistulam abiit, ægerrime eradicetur, ab antiquis tamen Medicis per abjectissimam plantam, antequam ulceris malitiam induebat, compecebatur.

Plantæ huic Ægilopi nomen est, a viribus scilicet, in cognomine affectu singularibus; nam *ἄγίλωπος*, sunt verba Dioscoridis, ἡ πικρά, μετὰ αἰλεύρωσιν καταπλάσσειν, αἰγίλωπος, sanat herba, cum farina imposta, *ægilopis*. Hujus ex vetustissimis botanicis primus omnium Theophrastus, *hist. plant. lib. 7. c. 12. l. 8. c. 9. & 11. &c.* aliquoties equidem mentionem facit, sed sine ulla figuræ descriptione; quam seculis aliquot recentior Dioscorides, *lib. 4. c. 121. edit. Cornarii*, apud *Matthiolum* autem *c. 134.* talem reliquit: Ægilops est herba, folia tritici habens, sed molliora, in summo capitulo, suis inclusa folliculis, semina duo aut tria rubicunda, in quibus arista velut capilli enascuntur.

Quæ

Quæ verba, etsi planissima sint, posteritatem tamen *Dioscoridis* adeo diversas interpretationes ipsis affinxere, ut vel plantas prorsus fatuas semineque carentes, vel *avenarum* quasdam species, ipsumque *gramen leporinum* ægilopi substituere non dubitarint. Adeoque hodie confusionis plena sunt omnia, ut nec veteres quosdam herbam hanc recte novisse constet, nec moderni antiquorum mentem assequi, aut se invicem satis intelligere videantur.

Originem autem harum turbarum neutiquam in *Theophrastum* atque *Plinium*, quos juxta cum *Dioscoride* ægilopis naturam descripsisse scimus, devolvendam putamus; qui lectis & probe pensitatis horum scriptis, interpretes eorum potius & commentariorum compilatores, *Theodorum scil. Gazam, Janum Cornarium & Jo. Bodeum a Stapel*, viros ceteroquin eruditos, & magnæ apud Medicos famæ, tantæ obscuritatis autores arbitramur.

Quamvis enim *Theophrastus l. c.* ita de ægilope loquatur, ut nescias, sylvestremne prorsus plantam & pestem agrorum eam habeat, an vero, aliarum frugum more, ab aliquibus cultam velit, neutiquam tamen a *Gaza* αἰγίλωψ absolute per *avenam* explicari debuisset: cum *Theophrastus* passim, ubi de ægilope agit, expressis verbis βρώμη quoque mentionem faciat; per quem veteres *avenam*, proprie sic dictam, *albam*, scil. illam, *frumentitiam, vescam*, intellexisse certissimum est.

Hac enim sua versione, ut admodum probabile videtur, haud levem ansam *Cornario* errandi dedit, ut, cum cerneret, *Dioscorideam* βρώμη descriptionem, lib. 2. c. 82. genuinæ *avenæ* aptissime quadrare, simulque a *Theophrasto* ægilopem, passim ad latus *bromi* positum, a *Gaza* *avenam* reddi observaret, nullamque porro herbam in promptu statim haberet, ægilopi, a *Dioscoride* lib. 4. c. 121. proposito, accommodandam, in mentem ipsi venerit, *sylvestrem* quandam *avenæ* speciem, quam pag. 366. notat. in l. c. *ermaticam, barbatam, nigram & fatuam* appellat, nostratibusque *Wildhaber* audit, pro *ægilope* *Dioscoridis* legentibus obtrudere.

Sed potuisset forsan optimo huic viro iste lapsus condonari, nisi, opinioni suæ nimium tribuens, in notis, ad c. 82. l. 2. p. 246. haud obscure *Theophrastum*, magisque adhuc aperte *Plinium* confusionis circa hasce plantas arguere ausus esset.

Enimvero sicuti non *Theophrastum*, sed *Gazam* interpretem hoc te-

lum petere debet, ita nec *Plinum* in fontem huc trahendum esse, ilico, ubi ejus verba allegaverimus, patebit; *Bromus*, inquit, *lib. 22. c. 25. in fin.* semen est spicam ferentis herba; nascitur (vel ad *Salmafii* mentem, nascens) inter vitia segetis, avena genere, & folio & stipula triticum imitatur. In acuminibus dependentes parvulas velut locustas habet. Quid amabo huic textui cum supra ex *Dioscoride* adducta definitione *ægilopis*, quem *Plinius lib. 18. c. 17. festucam hordeum enecantem* vocaverat, commercii est?

Quamvis enim ipsum accuratam differentiam utilis atque inutilis avenæ neglexisse, ex his & *lib. 18. c. 17.* verbis colligi queat, tum primum omnium frumenti vitium avenam esse, & hordeum in eam degenerare scribit; ea tamen non solum *Plinii*, sed totius fere *Italiae* atque *Afriae*, ubi tum temporis vix ulla avena ferebatur, sententia erat; quæ insuper nulla ratione ad *ægilopem* pertinebat.

Deinde cum *Plinius* *ægilopem* non nisi medici usus, ad cataplasmata, ejusque succum ad tussim utilem statuatur, avenam contra ea & alimentum & medicamenti vices gerere, nonque solum *Germaniae* popularis, sed aliis quoque gentibus alimentum præbere, *lib. 4. c. 13. l. 6. c. 29. l. 18. c. 17. l. 22. c. 25.* affirmet, obscurum amplius esse nequit, *Pliniam* neque plane ignorare, quid sit avena, ut *Stapellio* valde verisimile videtur, *l. 8. c. 9. in Theophrast.* neque *ægilopis* atque *avena* utriusque historiam confundere; quod post *Cornarium* *Stapellius* ipsi imputat, omnisque botanicorum exercitus severe damnat.

Ex quibus autem nonnullos, quid loquantur, & cum quo decertent, nescire, persuasissimus sum. Tam lubrica enim inter ipsos deviliissima hac herbula occurrunt judicia, ut a præcipuorum scriptorum, *Dodonei* puta, *Matthioli*, *Lobelsii*, *Cass.* & *Job. Baubinerum*, ipsiusque *Raji* lectione, non sine magna animi incertitudine recedamus.

Ut vero nihilominus veteribus æque ac neotericis suis honor constet, missis supervacaneis & partem absolis nomenclaturis atque distinctionibus, ex universo *ægilopum* cœtu unam eandemque alteram speciem selectam, respectu ad spicas atque semina habito, aut *bromoidem* aut *tritoidem* vocare licebit, prout scilicet ad *hordei* vel *avena* familiam propius accedere videbitur.

Ex his primo loco nominabimus *Ægilopem bromoidem* *Cornarii*, quem supra descriptam avenam sterilem esse diximus. Hunc *Dioscorides*

rides *ἄγριον* vocat, ut apud *Matth. in Diosc. ex c. 135.* patet, (quod caput *Cornario 122.* esse debuisset, nisi hypothese ipsius & præconceptæ de ægilope opinioni minus idoneum visum, ex nativo suo loco, ceu supposititium, dimotum, post librum quintum rejectum fuisset.) *Lobelio, hist. plant. pag. 10. ægilops bromoides Belgarum, Theodoro lib. 1. f. 6. pag. 545. ægilops brom. V. Lob. Bauhino, hist. plant. l. 18. c. 22. pag. 433. ægilops aristis recurvis* audit, & satis prolixis verbis descriptus visitur, quem *Dodonaus, l.c.* sub titulo *festuca prioris* brevius ita delineat: *festuca tritico similis est, culmi hujus tenues, spica, sive juba, avena similiores, grana oblonga sunt hirsuta, subrubra, folliculis inclusa, ac tenuem capillaceam ac longam aristam habent. Non modo in hordeo, sed etiam cum secali hæc frequenter enascitur.*

Ægilops critroides duas sub se species comprehendit, una est, cuius figuræ a *Matthiolo & Tabernamontano* primus locus conceditur. Huic a *Stapelio*, non sine insigni confusione lectoris, p. 958. ineptum *bromi sterilis*, rectius vero *festuce alterius*, subintellige *Dodonæi*, nomen tribuitur, cum tamen in textu figuræque explicatione & solo ægilopis nomine utatur, & ex *Dodona*, quam hicce autor ægilopi suo, a *festuca distincto*, subjunxerat descriptionem, *ἀγριος* huc applicet, dum pag. 959. ita loquitur: *Ægilops triticum ac hordeum foliis amulatur, sed culmos promit tenues & breves, dodrante haud altiores, atque in horum fastigio exiguas spicas, bina ternave grana (Matthiolus & Theod. rubra vocant) proferentes, quam hordei paulo minora glumis striatis implicata, a quibus tenues, prælongæ & acute crista eminent.*

Verum hæc altera potius *critroidis* species est, quæ a *Dodona* *ἄγριον* ægilops, a *Matthiolo* species secunda, *Theodoro* peregrina VI, *Lobelio* *Narbonensis* vocatur; quod copiose in illius regionis agris proveniat. Hanc ab initio *Matthiolus* pro genuino ægilope venditaverat, sed postmodum, si recte mentem ejus perspicimus, mutata sententia, supra ex *Stapelio* descriptam in ejus locum substituerat.

Quod si nunc, quænam ex hisce speciebus *Dioscoridea* sit, pronuntiandum esset, *Lobelio* quidem iudice, *Narbonensi* nullam propiorem genuina experientia evinceret, quod sæpius ægilopo morbo profuisse deprehensa sit. Cui in super *Matthiolus* agricolarum *Ananiensis* vallis testimonium superaddere posset, qui uno ore *ἄγριον*, ita vocant hunc

imā



ægilopem, ex hordeo degenerante propullulare affirmant. Verum cum nostris in regionibus Narbonensem adhibere nondum licuerit, primam autem Theodori speciem leni acredine linguam, gravique odore nares afficere sciamus, resolvendi vim ipsi neutiquam denegare possumus; quam etiam, tumoribus duris atque dolentibus imposita, una cum facultate anodyna, semel iterumque satis laudabiliter præstitit: ut proinde recenti ægilopi a Dioscoride promissam operam ipsam allaturam esse omnino speremus. Quæ latius h. l. exponere, præsens institutum non permittit, cum clarissimi Candidati natales studiorumq; curriculum, quod restat paginæ spatium, sibi dari postulent.

Natus est A. O. R. M. DC LXXII. d. XXII. Maji, Arnstadii, Illustriss. Comitum Svartzburg. sede, inter Thuringiæ oppida, propter amœnitatem situs, aeris salubritatem & incolarum frequentiam, merito commendabili. Genitorem habet JO. FRIDERICVM HUNERWOLFFIUM, Consularis dignitatis, rerumq; pharmaceuticarum peritissimum virum: Matrem vero ANNAM ELISABETHAM, ex familia HAACHIORUM, apud Coburgenses honestissima, oriundam.

Quamprimum parentum cura & privatorum pædagogorum manu ductione teneræ ætatis pietatis & veræ sapientiæ principia, una cum morum præceptis bonarumque literarum fundamentis instillata fuere, in inclyta schola patria, eruditione, industria atque fide clarissimis juventutis magistris, inque his potissimum JO. FRID. TREIBERO, Rectori, & post B. SCHUMANNI obitum, JO. NICOLAO FREITAGIO, Conrectori, commendatus est, quorum ope, cum indole optima & mirabili discendi cupiditate polleret, feliciter per singulos scholasticos gradus progrediens, non minus linguarum, Græcæ & Latinæ notitiam, quam plerasque humaniorum studiorum & Philosophiæ partes animo complexus est; adeo, ut a prudentissimis scholasticarum rerum directoribus, excellentissimo Theologo, JO. GOTHOFREDO OLEARIO, Superintendente & Consistorii Ecclesiast. Assessore gravissimo, & M. JO. QVIRINO HEDENO, Archidiacono, ejusdemque Consistorii Assessore meritissimo, Patronis & Fautoribus suis colendis, aliisque, quibus profectus ejus perspecti erant, maturus academicis acroasibus judicaretur.

Cum autem, animum ad artem medicam appulisset, suasu carissimi

fimi

(7)

simi Patris sui, Lic. JAC. AUGUSTINI HUNERWOLFFII, So-
cietat. N. C. Collegæ clarissimi, Poliatri Arnstadiensis, dum viveret,
gratiosissimi, nostram Academiam, ob Doctorum famam, studiorum
ordinem, & situm loci Medicis exercitiis præ reliquis aptum, elegit.
Ubi a Magnif. Rectore, JO. PAULO HEBENSTREITIO, Moral.
P. P. celeberrimo, d. 5. Junii, M DC XCI. in studiosorum numerum re-
ceptus, eam vitæ suæ rationem inivit, ut hætenus commilitonibus
suis laudatissimum probitatis, industriæ atque modestiæ exemplum
fuerit. Ne vero, quod aliis accidisse audiverat, cognitione rerum na-
turalium destitutus, tardius in Medicina progredi cogeretur, magna
sedulitate CASPARUM POSNERUM, Profess. Phys. celeberrim-
um, publice de monstris erudite commentantem, domi vero, se-
cundum ductum physicæ Svicæ, solida atque sincera Aristote-
licæ Philosophiæ principia egregie proponentem audivit.

Deinde per integrum fere triennium ita ab excellentissimorum
Facultatis Medicæ Professorum ore pependit, ut non cuivis obtin-
gente felicitate per universum Artis ambitum ab iis duceretur. Quip-
pe demonstrationum chemicarum doctrinæque pathologico-thera-
peuticæ explicationem, a gravissimo Facultatis suæ seniore, RUDOL-
PHO WILHELMO CRAUSIO, Hæreditario in Mellingen / Ph. &
Med. D. Pract. atque Chim. P. P. famigeratissimo, Acad. N. C. Collega
primario, publice institutam, privatis iisque doctissimis discursibus
perficere consuevit. Quicquid vero ad intimiorem artis cognitionem
pertinet, id omne incomparabili doctrinæ GEORGII WOLFF-
GANGI WEDELII, Med. D. Com. Pal. Cæs. Theoret. P. P. celeberrimi,
Consilarii & Archiatri Duc. Sax. splendidissimi, se debere fatetur,
quem publice physiologiam, pathologiam, facultates medicamen-
torum & compositionem eorum extemporaneam, privatim vero
institutiones, materiam medicam, præscriptionem formularum, præ-
xique clinicam, maximo cum applausu & admiratione docentem, in-
defesso studio sectatus est. Cognitionem Botanicæ, structuramque
corporis humani a CHRISTOPH. GUNTHERO SCHELHAM-
MERO, hodie in Acad. Kiloniensi Professore primario, Archiatro
Gottorpiensi, & Acad. N. C. Adjuncto celeberrimo, didicit, cujus per-
petuus comes fuit, sive in horto Medico campisque facundissime de re-
her-

herbaria disliceret, sive in theatro anatomico utriusque sexus cadave-
ra artificiosissime dissecaret. Præter hos nec B. WOLFFII, Prof.
Extraord. lectiones privatas botanicas, publicasque varii generis, nec
meas quoque scholas, quas superiorum consensu tunc temporis ape-
rire licebat, frequentare dubitavit.


His præfidiis instructus recepit se in patriam, uti in pharma-
copœia paterna non solum ulteriorem materiæ medicæ & operatio-
num chemicarum cognitionem sibi comparavit, sed etiam a Patre
suo ægrorum lectis propius admotus, theoriam praxi applicare di-
dicit, inque sectionibus quibusdam judicialibus ipse manum ad-
hibuit.

Ante annum ad nos redux factus, cœptamque studiorum telam
impigre pertexens, ad ἀκμὴν eorum aspirare cœpit. Postquam e-
nim ex continuata auscultatione reliquorum venerandorum suorum
Præceptorum pariter, ac meis laboribus, tam botanicis, quam publicis
duabus anatomiis, tantum viribus suis incrementum accessisset, ut,
Divino auxilio adjutus, languenti proximo salutarem opem se præ-
stare posse crederet, non sine caractere & publico eruditionis testi-
monio hinc abire voluit, sed ut a nostra Facultate summis in Medicina
honoribus impertiretur, modeste petiit. Admissus ad consueta exa-
mina, in duobus primis nobis abunde satisfecit, ut jam ad reliqua adi-
tus plenissimus ipsi concessus sit.

Disputabit itaque publice, DEO volente, eo, quem diximus, II.
Octobr. die, de ÆGILOPE MORBO, cui solenni actui ut Rector Magni-
ficus, Patres Academiae, omniumque ordinum hospites, ac studiosi
adesse velint, officiose & peramanter obsecro atque rogo. P.P. sub
sigillo Facultatis. Jenæ d. XXIX. Sept. M DC XCV,

L. S.





01 A 6551


ULB Halle 3
002 937 832




f
se

WMA







7.
4

PLTATIS MEDICÆ
 SLEVOGTILD.
 ET BOTAN. P, P,
 C. PROVINC.
 NAVGVRALIS
 De
 E HERBA.
 N Æ,
 KREBSIANIS.